



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

SCIANT verò vrbis & diœcesis nostræ fideles, Synodalem hanc actionē à nobis indictam præcipuum quoddam charitatis studium ab ijs ipsis postulare, quibus in Christo ministramus; cum illa omnis eò pertineat, vt per nos [gressus illorum dirigantur in viam salutis.] Quare paterna cohortatione eos vehementer in Domino admonemus, vt & sua & nostræ causâ nobiscum orationis studium adhibeant: dieque Dominico Synodum præcedente, initio scilicet sacri Aduentus, primum verè penitentes & confessi, sacram communionē sumant; hoc maxime precantes, vt Dei auxilium te misericordia, nos ea, quæ ad nostram, eorumque omnium qui curæ nostræ commissi sunt, salutem pertinent, diligenter sancteque agamus. In quarum rerum fidem has literas nostra nostrique Cancellarij manu signatas confici, sigilloque nostro muniri, & promulgari, Metropolitanæque nostræ, & Collegiatarum Ecclesiarum, Aediumque Archiepiscopaliū valuis publicè affigi iussimus. Quam affixionem habere eam vim volumus, ac si ipsis singulis quorum interest, illæ alatae ac denunciatae essent.

Datum ex Palatio nostro Archiepiscopali, Die 18. Septembris. 1574.

DECRETA EDITA IN SY-
nodo Diœcesana quarta Me-
diolanensi.

Decretum. I.

Ieiunij pridie festi diei S. Ambrosij seruandum.

SACRI diei, quo B. Ambrosius singulari Dei munere & gratia Episcopus populo Mediolanensi datus est, celebritas, eò maiorem ab illo cultum deposcit, quò plura is beneficia tanto patrono intercedente, perpetuis temporibus à Deo totius consolationis, & patre misericordiarum accepit. Quorum nos beneficiorum memoria & recordatione excitati, proque animarum salute, cupientes à clero populoque nobis commissio debita religionis studia prestari, quo potissimum tempore id omnis pietatis ratio postulat: pridie festi eius diei à fidelibus ieiunium seruand-

dum declaramus & decernimus. Quod ex præcepto ieiunium in calendarium perpetuum eo statò die adscribitur, à parochis & vrbis & diœcesanis Dominico die proximè præcedenti populo religiosè denunciari mandamus.

Decretum. II.

PAROCHIALIS Ecclesiæ festo die, & in diœcesi, & in vrbe (prout etiã ex veteri consuetudine compertum est) illius Parochiæ incolæ ab omni seruili opere abstineant; reliqua præsent, vt prouincialibus nostris Concilijs sancitum est, ad religiosum festi diei cultum.

Quo præterea die Parochus, quæ præcipuè tertio Prouinciali Concilio de vniuersiusque Parochiæ festo colendo constitutum, ad excitandam fidelium pietatē accuratè exequatur.

Qui item illius Parochiæ adueticij, incolæ, & hospites, peregrinive sunt festum eundem diem seruent.

Qui in ea parochia habitant, si illo festo die ad opus faciendū aliò dolosè in fraudem abierint, eos grauiter Parochus arguat.

Decretum. III.

VT fideles nostræ curæ commissi, quo temporis spatio debent, diebus festis religiosè colendis ab opere seruili abstinere; pro vrbis & diœcesis nostræ consuetudine, festi diei initium, à media nocte quæ illius diei celebritatem proximè præcedit, fieri; & sequenti itidem media nocte eundem diem terminari & concludi declaramus atque decernimus.

Decretum. IIII.

FVIT olim tanti apud antiquos patres ille status in Ecclesiam propriam Parochialem fidelium conuentus, vt ad hanc disciplinam populi Christiani institutioni valde accommodatam retinendam, certis decretis cautio aliqua adhibita sit.

Primo enim hoc iussum est, vt Dominicis festisque diebus parochi sacerdotes antequam Missæ sacrum faciant, plebem interrogent, si alterius Parochiæ fidelis adsit; qui proprio contempto presbytero ibi Missam audire velit; quem si inuenerint, statim inde eiciant, & in Parochialem suam Ecclesiam ad Missam audiendam redire compellant.

Deinde

Festus dies ecclesiæ parochialis à parochia incolis colendus.

Tit. de fest. die. cultu. §. Quò religiosus. pag. 87.

Qua hora scitus dies incipiat, & desinat.

Fideles diebus festis conueniant ad Ecclesiã parochialem.